UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput IV. Concluditur Materia Præsens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81382

Visual Library

mus potius animal rationale, quam equinum; Ergo si necessitas illa disjunctiva ad actus æquè honestos, compossibilis est cum libertate illa, quam requirit gratitudo, est etiam compossibilis cum illa, qua contenta est species aliqua laudis moralis; Si dixeris, fore, ut etiam mereatur præmium, quando operatur sub necessitate vagante inter actus æquè honestos, sed dissimiles. R. non meretur laudem neque præmium respondentia operationi honestè in genere, quia ad genus hoc est antecedenter determinatè necessitata; sed meretur præmium respondens unicuique ex eis duabus operationibus, ad quas est disjunctivè necessitata, v. g. operi A respondere potest præmium A, operi B æque honesto in genere, sed disparis honestatis, respondere potest præmium B (non procedit casus circà hanc providentiam, sed circà aliam in qua poterat Deus aliter præfinire præmia virtutum) tunc, si cum ea disjunctiva necessitate poneret creatura actum A adipisceretur præmium A à DEO illi actui præfixum, & non aliud præmium alteri præfixum, & quod dico in ordine ad præmium, & laudabilitatem moralem de necessitate vagante inter actus æquè honestos, sed dissimiles, dices proportionatè in ordine ad pœnam, & vituperabilitatem de necessitate vagante, (si daretur quod tamen negandum est) inter actus æquè turpes, sed dissimiles, v.g. ad peccatum A, vel B, æqualia in malitia, sed speciei distinctæ.

CAPUT IV.
Concluditur materia præsens.

XXX. PRobo nullum actum divinum liberum habere posse prò objecto formali *adæquato* quid creatum; Undè nulla datur in DEO virtus purè moralis; sed omnes actus Divini immediatè liberi moventur ex sua bonitate, undè omnes spectant ad charitatem Theologicam. Tum quia omnis bonitas & malitia creata, utpote quid finitum, est quid nullius momenti respectu ponderis, & gravitatis infinitæ, ut ita dicam, divinæ voluntatis; in seipsa consideratæ. Ergò sicut res pueriles, bonæ, aut malæ, impares sunt movendo *per se præcisè* voluntatem Regis Sapientissimi, & Potentissimi, ita nostra bona, & mala, quamvis Deus ex sua dignatione illa interdum magni faciat, ut ex scriptura discimus, hoc facit ex sua dignatione; verumtamen illa specificativè, ac secundum se præcisè inspecta, licet habeant suum valorem intrinsecum in ordine ad præmium, quando sunt bona, & suam intrinsecâ dignitatem ad pœnam quando sunt mala, nihilominus sunt insufficientia, ut *per se præcisè* adæquatè moveant voluntatem Regis infinitè Sapientis, Potentis, & nullius rei extraneæ indigui, ut esset DEUS. Non tamen nego, sed concedo multos actus Divinos moveri intrinsecè (sed inadæquatè solum) ex objecto creato, siquidem propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, &c. Sed moventur ex objecto creato, quia præcisè vult moveri ex illo, aut quia vult moveri ex illo propter suam bonitatem. Tum quia omnis actus divinæ voluntatis fruitur omni honestate possibili in genere morali, quia ex sua essentia est determinatus ad omnem perfectionem possibilem puram ab imperfectione. Sed operari ex motivo Divinæ bonitatis in quovis casu est aliqua honestas possibilis in genere morum; ergò sicut in nobis esset perfectionis apex omnia prorsus nostra exactè facere ex motivo Divinæ bonitatis, ità in Deo. Rursus neque nego lethale esse quid gravissimum apud Deum, ut constat ex gravissimis, quas in scriptura legimus, expostulationibus adversus peccatores. Sed dico esse quid gravissimum in ordine ad divinum Judicium reprobativam illius, quod exprimit gravitatem, quam in se habet lethale; sed non in ordine ad necessitandum antecedenter Divinam voluntatem ad aliquid.

XXXI. Hinc primò verum est, quod DEUS exercet virtutes morales, quatenus exercet objectum materiale primarium illorum v.g. Justitiæ, Misericordiæ, &c. Item quod movetur ex honestate seù potius ex objecto formali specificativo illarum; At actus, quibus id præstat, non spectant ad virtutes purè morales, nam sunt Theologici, id est moti proximè ex objecto entitativè divino. Vult namquè punire propter

suam

ſuam bonitatem, & propter objectum formale juſtitiæ punitivæ, quod utpotè limitatæ bonitatis impar eſt movendo per ſe præcisè infinitam illam voluntatem. Item vult miſereri propter bonitatem, & propter objectum formale miſericordiæ. Amat ſanctos, & evehit illos ad dignitatem Amicorum propter ſuam bonitatem, & propter gratiam ſanctificantem, quam agnoſcit in illis, & hoc ſufficit ad hoc, ut proſequatur eos amore amicabili ſeù benevolentiæ, id eſt amore moto ex objectiva bonitate detecta in amico; ſed nequè eſt purè amicitia moralis, nequè purè benevolentia, ſed amicitia, & benevolentia Theologica: quia Tract. de Pœnit. Diſput. 1. cap. 1. dixi, non modò eſſe virtutes Theologicas, & morales ſimplices; ſed etiam compoſitas, id eſt motas tum ex objecto formali divino, tum ex objecto formali creato. In præſenti verò actus liber Dei non ſuſcipit objectum formale creatum, ut plenum, & ſufficiens ex ſe ad movendum Divinam voluntatem; ſed ſuſcipit ſic divinam voluntatem, quamvis actu non moveatur ex ea ſola, & ſic eſt explicabilis. *Quamvis in ſola mea bonitate habeo motivum ſufficiens ad miſerendum tui, volo tamen miſereri, & propter me, & propter te.* Quod ſi confugias ad merita Chriſti invenies ibi motivum etiam entitativè Divinum.

XXXII. Objic: Sola veritas creata movet per ſe adæquatè Divinam cognitionem. Ergò ſola bonitas creata poteſt movere per ſe adæquatè divinam voluntatem. Prob. Conſequentia: non minus ſpectat ad divinæ voluntatis bonitatem, ac rectitudinem amare bonum, & odiſſe malum, quamvis finita ſint, quam ad divini intellectus perſpicaciam cognoſcere omne verum ſimul ac cognoſcibile eſt; nam ſicut deficeret hic in virtute cognoſcitiva, ſi non cognoſceret quidquid cognoſcibile eſt, ità deficeret illa in rectitudine, ſi non amaret quidquid amabile eſt, & non odiſſet quidquid odibile eſt; Ergò ſi ſola veritas creata, licet finita movet per ſe adæquatè intellectum divinum, etiam ſola bonitas, aut malitia creata licet ambæ ſint finitæ, movent per ſe adæquatè divinam voluntatem. Conf. Tametſi malitia peccati ſit finita, attamen eſt talis, ut non poſſit non diſplicere DEO; Ergò per ſe præcisè excitat in Deo odium ſui.

XXXIII. R. Nego conſequentiam objectionis. Ad probationem nec non ad confirmationem R. utrobiquè confundi objectum materiale, & formale adæquatum cum inadæquato. Aliud eſt, quod divina voluntas ex ſumma ſua rectitudine ſit determinata ad amandum, quidquid prudenter eſt amabile, deteſtandumquè quidquid prudenter eſt deteſtabile. Aliud longè diverſum, quod ſit determinata ad illud amandum purè præcisè, adæquatequè propter illius objecti bonitatem finitam, ſeù ad deteſtandum peccatum purè præcisè adæquatè propter illius malitiam. Tranſeat primum eſſe verum (quod tamen graves Theologi negant moti ex eo, quod talis eſt celſitudo voluntatis Divinæ, ut nil purè creatum aſſurgere poſſit ad corripiendam illam neceſſariò in ſui amorem, vel odium) ſed de illo non eſt præſens quæſtio; nam ſi eſt verum, ideò erit, quia propria bonitas, ac rectitudo divinæ voluntatis eam irreſiſtibiliter impellit ad amorem, & odium dictum. Quocircà non habebitur, quod objectum formale creatum moveat per ſe adæquatè, ac ſufficienter actum ullum divinæ voluntatis. De ſecundo eſt quæſtio; ſed ſecundum eſt falſum propter rationem à priori, & à poſteriori ſuprà datas. Cùm enim ex terminis ipſis melius ſit moveri in quolibet exercitio immediatè libero ex divina bonitate, ſeù ex aliquo entitativè divino, ex ſuppoſitione, quod tale detur exercitium liberum: & ex alia parte DEUS ex ſua Metaphyſica eſſentia ſit determinatus ad omnes perfectiones poſſibiles diſcretas ab imperfectionibus, palam fit, eſſe determinatum ad operandum ex motivo entitativè divino, ex ſuppoſitione quod operetur. Ergò repugnat, quod bonitas ulla, aut malitia creata ſufficiat per ſe ſolam movere operationem ullam divinam; nam eſſet per ſe adæquatè ſufficiens ad operationem, quæ per ſe eſſentialiter poſcit aliud, nempè motivum entitativè divinum. Et hæc eſt diſparitas ad exemplum veritatis creatæ: Non enim eſt perfectio intellectus Divini agnoſce-

noscere objectum materiale propter objectum formale, quod non est. At multoties nil entitativè divinum potest esse objectum formale cognoscendi veritatem creatam, nam objectum formale cognitionis est illud, quod propter suam essentialem relationem ad objectum materiale ducit in hujus cognitionem. At multoties nil entitativè Divinum habet essentialem relationem ad veritatem creatam, quia licet semper detur aliquid divinum connexum cum creaturâ, quæ fuit, est, vel erit; attamen nihil divinum distinctum ab ipsâ divina scientia, habet connexionem, seù relationem essentialem cum futuris contingentibus purè conditionatis, ut ostendi; quando scientiam mediam explicavi. Ad hæc, cùm purè possibilibus multi negent in DEO essentialem relationem, ergò non spectat ad infinitam perspicaciam divinæ mentis cognoscere veritatem creatam propter aliquod objectum formale entitativè divinum. Ergo quoad hoc est disparitas inter intellectum, & voluntatem DEI.

XXXIV. Probo tertiam partem, scilicet DEUM posse amare & odisse liberè creaturas purè possibiles, quod negant multi Theologi. Et ne laboremus in æquivoco; adverte primò. Aliud est, quod DEUS non amat creaturas purè possibiles, quatenus pura possibilitas non sit motivum sufficiens seù objectum formale amoris. Et hoc est verum: nam cum hæc possibilitas, seu bonitas trascendentalis communis sit etiam peccato, planum est, illam non esse titulum sufficientem ad amorem, seù non esse objectum formale hujus. Aliud item, quatenus nec omnis possibilitas sit objectum materiale amoris divini, ita ut hic habeat hanc tendentiam. *Placet mihi, quod hæc res non involvat duo contradictoria.* Non dicimus hoc, sed DEUM amare posse pura possibilia, quatenus rem esse purè possibilem, & nunquam existentem, non impedit per se præcisè, quod DEUS illam amore, vel odio, prout digna fuerit, prosequatur.

XXXV. Adverte secundò, creaturas purè possibiles vocari eas, quæ nunquam absolutè extiterunt, existunt, vel existent, ut salus Judæ, reprobatio Petri, unio hypostatica meæ naturæ cum Spiritu sancto, &c. Jam arguo sic. DEUS amat quidquid præcipit sub gravi, & odit quidquid sub gravi prohibet. At sæpissimè præcipit actus internos voluntatis purè possibiles, nempè quando præcipit actum *prò instanti A*, & peccator illum omittit, siquidem actus ille *ut in instanti A* nunquam existit, extitit, aut existet. Item sub gravi prohibet actum B *pro instanti A*, qui actus quando honestè omittitur est purè possibilis, quia ut talis nequè existit in eo, nequè in ullo anteriore, aut posteriore instanti, ut supponimus. Ergo, &c. Similiter DEUS vult salutem omnium hominum, quæ nunquam extitit, existit, vel existet absolutè, & consequenter est purè possibilis. Vult, quoties largitur auxilium, conversionem, & obedientiam illius individui hominis, quæ tamen sæpè manet purè possibilis. Respondent, objecta hæc non esse purè possibilia, nam ultrà possibilitatem habent existentiam conditionatam. Sed contrà. Nil compossibile cum eo, quod objectum possibile nunquam extiterit, existat, vel extiturum sit absolutè, impedit, quod objectum illud sit purè possibile: Quoniam pura possibilitas consistit in eo, quod res sit possibilis, nunquam tamen existat absolutè. At objectum existere conditionatè est compossibile cum hoc, siquidem mera conditionalitas nil ponit in esse. Ergo. Secundò, si de ratione puræ possibilitatis est, quod res nec conditionatè existit sub hypothesi ulla possibili, res purè possibiles, & puræ possibilitates erunt chimæra; nam chimæra est, quod non existat res possibilis sub conditione ulla, nam saltem debet existere sub conditione, quod à DEO videatur existens, sub conditione, quod à DEO efficaciter determinatur, &c. ergò si in hoc sensu loquimini; vestra conclusio erit, quod DEUS non possit amare chimæras, quæ est veritas frigida.

XXXVI. Jam ratio à priori, contrà rationem à priori adversariorum nitentium in eo, quod res purè possibiles nequè habent bonitatem, nequè malitiam, est. Eo ipso, quod objectum proponatur voluntati, ejus esse condi-

tionis, & naturæ, ut si existat, afferat secum talem, & talem rem bonam, potest voluntas in illo complacere & illud vel amare, vel etiam efficaciter velle, quamvis volitio aliunde moveatur (modò quippe solum intendo, rem illam posse esse objectum materiale, seu capax amoris; non autem posse esse objectum formale adæquatè motivum) Item eo ipso, quod objectum proponatur voluntati, ejus esse naturæ, ut si existat, afferat secum tale, & tale malum, potest voluntas de illo displicere, illud odisse & contrà illius existentiam assurgere. Hæc major constat experientiâ; nam sæpissimè hujusmodi cogitationibus præviis movemur, suppositis aliis requisitis, modò ad intentionem finis, mediorumquè executionem, licet irrito conatu, modò ad fugam. At quamvis objectum sit pure possibile, id est, non habeat bonitatem ullam, aut malitiam physicè existentem in rebus, potest alterutro illo modo proponi voluntati, ut etiam constat experientiâ; Ergo quamvis sit purè possibile, & nullam actu habeat physicè bonitatem vel malitiam, potest voluntas amare, vel odisse illud, si cætera adsint requisita. Hoc dico de DEO: potest amare unas creaturas purè possibiles, potest odisse alias, non quia pura possibilitas sit motivum sufficiens ad amorem, vel odium; non item quia amor, vel odium sistant in pura possibilitate: Sed quia licet illæ sint pure possibiles in sensu dicto, obversantur menti divinæ prout essent, si existerent in rebus, id est, modò optimæ, modò improbæ conditionis: & consequenter licet sint purè possibiles, obversantur capaces terminandi modò amorem, modò odium DEI; uterlibet tamen affectus est liber DEO, quoniam sola bonitas infinita potest rapere necessariò illam voluntatem in sui amorem, & sola malitia infinita (si possibilis esset) in sui odium; at bonitas tota, & malitia creata & consequenter tota malitia possibilis, est quid finitum; ergò non rapiunt necessariò voluntatem illam.

XXXVII. Objic: Quod nec est bonum, nec malum, non est dignum amore, aut odio; Sed creaturæ purè possibiles nec sunt bonæ, nec malæ, quia non sunt; Ergo. Confirmatur. Vel creaturæ proponuntur, ut purè possibiles, vel ut existentes conditionatè saltem. Si primum. Nulla detegitur in istis bonitas aut malitia, quia rem esse talem, ut si existat, non involvat duo contradictoria, nec est dignum amore, nec odio. Si secundum, jam non sunt purè possibiles, sed ultrà possibilitatem habent gradum aliquem existentiæ, nempè existentiam illam conditionatam; Ergò vel non sunt purè possibiles, vel non sunt dignæ amore, aut odio: R. distinguo majorem objectionis; quod nec est bonum, nec malum, nec cognoscitur, ut bonæ, aut malæ conditionis, si existeret, non est dignum, &c. Concedo majorem. Quod non est bonum, nec malum, cognoscitur tamen, ut bonæ, aut malæ conditionis, si existeret, non est dignum, &c. Nego majorem. Et proportionatè distincta minore, nego consequentiam. Profectò salus omnium hominum, conversio peccatoris obstinati, obedientia præcepti, quod violatur, & hujusmodi alia, non sunt bona, nec mala in isto sensu, siquidem non sunt; & tamen amantur à DEO, immo volita sunt, nempè ob rationem à priori conclusionis. Ad confirmationem R. utrolibet modo proponi posse: Ad impugnationem primi membri dico. Quamvis ista sola cognitio non detegat in objecto præcisè ut possibili bonitatem, aut malitiam; attamen detegit bonitatem hanc: *Si homo obediret huic præcepto, huic auxilio, hæc obedientia esset conformis regulæ morum, redderet hominem laudabilem, redderet eum consentaneum divinæ voluntati.* Item detegit malitiam hanc: *Si existeret peccatum, esset audacia contrà DEUM, hominem redderet vituperabilem, aversum à DEO, &c.* Quod sufficit ad prosequendum illud amore; hoc autem odio.

XXXVIII. Sed neutra ex his extrahit suum objectum à statu puræ possibilitatis, quia duntaxat exprimit quidditatem, ac naturam sui objecti, præscindens omninò ab existentia illius, non quidem ab existentia, ut hypothesi, (quia hoc modo nequè cognitio puræ possibilitatis præscindit) sed ab existentia tamquam conditionato; ergò manente

nente re intrà limites puræ possibilitatis, proponi potest digna amore, vel odio. Ad impugnationem secundi membri dico, gradum illum existentiæ tantum conditionatæ non extrahere rem à statu puræ possibilitatis, ut dixi, tum quia conditionalitas mera nil ponit in esse, tum quia alias purè possibile erit impossibile; Tum quia aliud est existere conditionatè tamquam conditionatum, aliud tamquam conditionem. Hæc namquè cognitio. *Si Christus prædicasset apud Tyrios, & Sidonios, hi fecissent pœnitentiam*, exprimit conditionatè prædicationem, & pœnitentiam hanc ut conditionatum; illam ut hypothesim. Transeat existentiam conditionatam instar conditionati extrahere rem à statu puræ possibilitatis; sed nego, si instar conditionis merè suspensivè attactæ, quia sic non affirmatur existentia de objecto illo sub ullâ hypothesi, sed tantum dicitur. *Si esset.* Jam existentia conditionata rei possibilis, quæ movet sui amorem, vel odium, potest esse existentia conditionata, ut mera hypothesis, nempe si hæc res existeret, traheret secum hos bonos effectus, vel hos malos.

XXXIX. Probo tandem, quod libertas creata deficeret deficiente divinâ; & item non deficeret, quamvis in diversis sensibus. Et imprimis animadvertere debes utilitatem, atquè inutilitatem jam supra insinuatam propositionum conditionalium in hypothesi impossibili; nam frequentes sunt in tota Theologia. Certum est primò, quod in sensu reali, & objectivo deficiente libertate divina, utpote attributo necessario DEI hic deficeret: & consequenter libertas creata, & creaturæ omnes deficerent, cum omnes sint intimè connexæ cum DEO, hujusquè perfectionibus necessariis. Certum est secundò, quod tunc non deficeret libertas creata per locum ab intrinseco, ut ajunt, quia hic locus intrinsecus sonat libertatem divinam esse intrinsecum constitutivum libertatis creatæ, & hoc est falsum; alias hæc libertas intrinsecè constituere-

tur per Divinam voluntatem in actu primo per scientiam necessariam, per scientiam mediam, & reliqua constitutiva divinæ libertatis activæ. Certum est tertiò, quod si divina libertas deficeret, eo quod Omnipotentia necessario operaretur, quidquid operaretur, vel eo quod DEUS esset necessitatus ad Decretum efficax operationis Omnipotentiæ, quamvis hæc secundum se præcisè inspecta foret indifferens, tunc rueret libertas creata, quoniam in utroquè casu esset antecedenter impotens vitare suam operationem & premeretur ex parte actus primi proximi aliquo inevitabili, & determinatè connexo cum sua operatione.

XL. Difficultas ergo est, an rueret libertas creata, eo quod DEUS non liberè, sed necessario conciperet Decretum indifferens applicativum Omnipotentiæ, quod modò liberè concipit? R. negativè, quia eo ipso, quod ita posset creatura amare v.g. & non amare, ut nullo premeretur, quod simul esset inevitabile, ac determinatè connexum metaphysicè cum uno ex his duobus extremis, liberè poneret extremũ, quod poneret. At licet apprehendatur DEUM necessario habere illud, creatura nullo premeretur connexo determinatè metaphysicè cum amore v.g. & simul inevitabili sibi: Quia nec Omnipotentia, nec illud Decretum essent determinatè connexa Metaphysicè cum amore, quamvis utrumvis esset inevitabile à creaturâ, ergò. Et ecce sensus in quo maneret, aut non maneret libertas creata deficiente divinâ, in qua quæstione multi multum laborant. Et occasione hujus potest breviter explicari ut jam supra explicui. *An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo.* Argumenta contraria fundantur in connexione libertatis creatæ cum Divina. Hoc est verum, & consequenter, quod deficiente realiter divina, deficeret realiter creata; sed nos loquimur in sensu mentaliter præcisivo ab hac reali connexione, & inspiciendo solum indifferentiam, aut determinationem constitutivorum libertatis.